

2

3.

4.



382

177922.

DE

NATVRA ACTIONVM CONTRARIARVM.

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA.

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROF. PVBL. ORD. IVR. NAT. ET GENT. ET SOCIETAT. LITERAR.
DVISBURG. SOCIO.

IN AVDITORIO IVRIDICO.

DIE XXX APRIL. ANNO CICICCLXXIX.

D I S P V T A B I T.

A V T O R

GOTTLOB FRIDERICVS WOLF.

ZOEBLIZIENSIS. MISN.

L I P S I A E

EX OFFICINA BÜSCHELIA.

38

MATRY ACTIOVM
CONTRARIARVM

LIBVATRIS IOLVAM QDVINA CESTA

PRAESES

CHRISTIANOHELMUS FRITZ

PROL ETIQUETTA JAV. M. T. E. S. T. G. S. T. T. T. T. T. T. T.

DABERG 1650

IN ABDICATIO T. V. D. 100

DIT EXX ARTELIA ANNO C. 1650

PICTA T. V. D.

ADTOL

COTTOB. LIBERTY. RUB. M. 100

SCHEFFELNBERG. M. 100

PICTA T. V. D.

SCHEFFELNBERG. M. 100



DE

NATVRA ACTIONVM CONTRARIARVM.

§. L.

Non tantum natura cuius homini certa dedit iura, sed idem possit alii facit ciuitas, quae alia superaddidit, a quo in societatem coirent homines, et utrumque, et naturale, et ciuile ius permisit, ut inuenire variis modis et in rebus iura sibi acquirevere, et alios sibi obligatos reddere possint. Colleget omnes causas MODESTINVS in L. 52, pr. n. de oblig. et Act. Obligamtr, inquit, aut re, aut verbis, aut simul veroque, aut consensu, aut lege, aut iure bonorario, aut necessitate, aut ex peccato. Sed quid profuerint iura, quid obligationes, nisi simul media data, quibus quiuis in suo se tueri iure possit, imo per quae cogeretur quiuis ad obligationes adimplendas. Bellum, quod natura permittebat, non videbatur aptum in ciuili societate remedium. Alia itaque media eligenda et inuenienda, quae commodius in republica substitui poterant bello. Iudicia itaque ordinabantur et ciuilia illa cogendi media per iudices partim,

A 2

quo

quo quilibet ciuis in suo defenderetur per magistratum iure acquisito, partim quilibet cogeretur ad adimpleendas, quas alteri debebat obligationes. At vero, quod iudex ignoraret, per quem quis laederetur et in quo iure quae obligatione, necesse erat, ut qui iudicis egeret auxilio suam eidem proponeret intentionem. Hinc nasciebantur actiones. Ex his apparet, actionem esse remedium iuris, solemnī modo persequendī in iudicio illud, quod sibi debetur, seu ius, quod sibi competit. In omni vero actione duo veniunt, ad quae maxime respiciendum, videlicet, quale sit cuiusvis actionis fundamentum, et quo modo, vel ad quam normam in iudicio proponenda atque perracienda veniat. Hoc respicit ad processum, illud ad ius. Nam vna eademque actio diuerso processu modo proponi potest et pertractari. Sie verbi causa venditi actio vel ordinario tractabitur modo, si summa debiti sit maior, vel executiue, si ex syngrapho super contractu consecuto agitur, vel summarie, si pretium, quod vendor ab emtore exigit, minoris sit quantitatis. Sicuti itaque venditi manet actio, sive ordinarie, sive summarie, sive executiue pertractetur in iudicio; ita nonnunquam peccant, qui remedio iuris nomen actionis negant, quod ordinario tractandi ordine non peragit, quale quid de *interdictis* obseruauit. Nam et Romanis actio manebat, licet extraordinario modo cognosceretur. At si ad fundamentum, et sic ad ius respicimus, ex eo variae enatae sunt actionum differentiae. In his vna est, per quam actiones sunt vel directae, vel contrariae. Nos, qui tantum contrariarum actionum naturam et indolem inuestigare constituimus, lubentes reliquas omnes diuisiones omittimus, quas nec instituti ratio omnes tractare, nec libelli exigutas pateretur. Ut vero ideatur confusio euitetur, monendum est, directas actiones interdum opponi *utilibus*. Romani enim, qui maxime formulis delectabantur, singulis actionibus certam agendi formulam excoegerauerant, a qua, vt docuit *HINECTIVS* orat, de *formulari*, veter. Rom. Iurispr. recedere non licebat. Quodsi itaque ea species in iudicio tractanta veniret, ad quam formula certa concepta, dicebant actionem directam, cui deinde, si ob itenditatem causae remedium querendum, quod desiceret, applicabant formulam ad aliud thema, atque hanc applicatam formulam ab uno themate ad alium, dicebant *vitalem actionem*. Sed cum

cum hoc genere actionum directarum nullum nobis est negotium. Directae vero, quae contrariis opponuntur, eae dicuntur, quae ex ipso negotio obligatorio immediate oriuntur, seu quarum fundatum in ipsa conuentione querendum, et quae existunt, simulac negotiorum obligatorum perfectum, ex quo actio descendit. Contrariae itaque actiones erant, quae ex alia veniunt causa, quam ex negotio ipso obligatorio principali, ad quam tamen principale negotium occasionem subministrat, quod postea monstrabimus. In hac distinctione directarum et contrariarum actionum nulla formulorum applicatio, sed quaelibet suam sibi conceptam habebat formulam, de qua, cum Iustiniano iure iam cessarent, nihil est, quod multa dicamus.

§. II.

Est communis prope opinio, quam fere in omnibus scriptis doctorum hominum comprehendimus, per quam affirmant, contrarias actiones venire ex contractibus ipsis. Hinc unilaterales illos dicunt tantum, ex quibus una descendit actio et in quibus nulla cogitari potest contraria, reliquos bilaterales vocant, quorum tamen duas species formant, unam, quae ex veraque parte producit directam actionem, ut societas, entio venditio, locatio conductio, emphyteusis, alteram, quae et directam et contrariam producit, ut commodum, pignus, depositum, mandatum, caet. Hac distinctione susculti, affirmant contrariam actionem ex contractu venire. Inde fere omnes, qui doctrinam Iuris per compendia proposuerunt, ubi varias contractuum species pertractarunt, scribunt: Ex hoc contractu duo venient actiones, una directa, altera contraria. Exempla sunt adeo apud Heinocium in Doctr. Pand. et Inst. Taceo lubens reliquos, ut LUDOVICI Doctr. Pand. et alios, qui iniucem eandem narrarunt fabulam. Cum omnes illi contractus et negotia, in quibus contrariae actiones obueniunt, unilateralis sua natura atque essentia sunt, efficiunt, statuendo, contrarias venire ex contractu, ut, qui unilateralis est, bilateralis sit, quod fieri ideo nequit, cum contra naturam sit ipsius contractus,

A 3

vt



ut duplēm ex vtraque contrahentium parte producat obligatiō-
nem. Sed de hoc capite postea.

§. III.

In omni actione primario respiciendum ad fundamentum, vt
vocant, actionis, seu ad illud ius, vel obligationem, quae actio-
nem producit et quae actione continetur. Vbi ergo nullum fun-
damentum agendi deprehenditur in negotio, in eo actio cogitari
non potest. Iam si v. c. commodarum sumas, obligatur com-
modatarius contrahendo ad restituendam rem commodatam finito
uso, et praefandam culpam. Cum vero commodatum gratuitum
sit, neque ex commodato in commodatario ius, nec in commodante
obligatio vi contractus cogitari potest. Hinc trecenti et amplius
contraētus quotidie celebrantur, in quibus omnibus directa obli-
gatio semper adest, frusta vero commodantem quaeras obligatum,
vt ergo nulla adsit contraria obligatio. Dabimus contractum pigno-
ris, directam semper in omni habebis pignore obligationem et
actionem, si pignus solutum. At quo quotidie inuenies conve-
ntiones pignoratiias, in quibus debitorem, tradito pignore creditorū
praeterquam ex negotio principalī, cui accessit pignus, ad nihil vi-
des obligatum. Gratis depositarius custodit depositum, nec quid-
quam salvo hoc contractu a deponente exigit, et tamen interdum
contingit, vt depositario obligetur deponens, quod ex contractu
esse nequit, qui ab omni obligatione deponentem immunem pro-
nunciat, cum gratis custodiendum sit depositum. Sint ergo plu-
rima deposita, in quibus contraria obligatio haud cogitatur. Sic
in reliquis omnibus. Quare concludo, quae obligatio ex natura
contractus non venit, et qui contractus toties celebratur, nec ra-
men eam, quam contrariam dicunt obligationem, deprehendimus,
de ea actione dici nequit, quod ex contractu veniat. Ergo aliud
harum actionum fundamentum est quaerendum.

§. IV.

§. IV.

Dicunt docti homines, contractum quidem esse ab initio unilateralem, sed fieri postea bilateralem. Vehementer dubito, at contractus suam *substantiam* et *naturam* mutare possit, ut identitate maneat *contractus*, qui antea fuerat. Unilateralis manebit unilateralis, et bilateralis, nunquam degenerabit in unilateralem. Potest quidem pacto *contractibus* bonae fidei in continentis superaddi obligatio, quae ad *contractum* refertur, ut illius praestatio ea actione exigatur, quae ex *contractu* venit; sed ex post facto accedere obligationem *contractui* posse, quae ita habenda, ut infra *contractui* et eandem cum *contractu* producat actionem, nemo haec enim eruditorum neque adseruit, neque probauit. Iam omnes contrariae actiones non cum ipso *contractu* oriuntur, nec fundatum habent in *contractu*, veniente itaque, necesse est, ex alio argumento, quam ex *contractu*. Confirmat me ipsa compellatio actionis, qua eandem Veteres Iurisconsulti denominarunt. Dicunt *contrariam*, quasi illa sit *contra* naturam *contractus*, qui unilateralis est, et unum tantum *contrahentium* efficit obligatum. *Contraria* est *contractui*, cum tot *contractus* celebrantur, in quibus illa *actio*, ne cogitari quidem potest. Hinc non ex *contractu* venit, sed *contractus* derum occasionem subministrat cause, quae dein fundatum sit obligatio, ex quo illa *contraria* nascitur *actio*. Dabimus specimen facti: Titius commodatum *contrahit* cum Maevio commodante, qui eidem tradit rhedam ad iter aliquod suscipiendum. Adimplevit Maevius tradendo rhedam omnem, quae ex pacto de commodando venerat obligatio, et per quod adimplimentum *contractus* commodati perficiebatur. Iam tenebatur Titius solus obligatus ad restituendam rhedam et damnum in eadum resarcendum. Fac, hanc rhedam, cum iter susciperet vitiosam ita esse, ut reparatio maiori sumtu prius suscipienda, quam iter inchoari posset. Cum siam rhedam non haberet Titius, refici curat eandem solutis impensis eoque facto efficit, ut rheda restituta et refecta seruetur Maevio, qui cum saluum habere voluisse rhedam, coactus fuisset eosdem sumtus in refectionem impendere. Ni vitiosa fuisset rheda, nullo modo obligatus fuisset Maevius, nec

CON-



contraria extitisset obligatio. At a quo Titius sumtus in resedionem impenderat, lex Maeium pronunciat obligatum ad restituicionem impensarum. Ita GAIUS in L. 18. §. 2. π. commod. vel contr. scribit: *Possunt iustae cause interuenire, ex quibus cum eo, qui commodasset, agi deberet. Veluti de IMPENSIS in valetudinem servi factis, quaece post fugam requirendi reducendique eius causa factae essent.*

§. V.

Quae cum ita sunt, facile pater, non ex contractu in legum capitibus deduci hanc actionem, sed ut recte GAIUS cit. l. ait: *Possunt IVSTAE CAVSÆ INTERVENIRE.* Non ergo obligatio in contractu querenda, sed in interueniente iusta causa. Plures vero esse possunt superuenientes iustae causæ, Plerumque impensæ in rem alterius, vel negotium factæ iustum fundamentum subministrant actioni contrariae. Quare recte scribit GAIUS in L. 27. §. 4. π. *Maudat, vel contr. Impendia mandati exequendi gratia facta, si bona fide facta sunt restitui omnino debent, nec ad rem pertinet, quod is, qui mandasset, potuisse, si ipse negotium gereret, minus impendere.* Eandem quoque cauam contrariae actionis allegat POMPONIVS in L. 8. pr. π. de pignor. aſt. scribit: *Si necessarias impensas fecerim in seruum aut in fundum, quem pignoris causa acceperim: non tantum retentionem, sed etiam contrarium pignoratitiam actionem habebbo.* Praeterea et melioratio suscepta in re alterius contrariae actionis fundamentum dat: Exemplum habet ULPIANVS in L. 25. π. de pignor. action. Verba sunt: *Si seruos pignoratos artificis instruxit creditor; siquidem iam imbutos, vel voluntate debitoris, erit actio contraria: Si vero nihil horum intercessit, siquidem artificis necessarii, erit actio contraria.* Amplius contraria actio fundamentum habet in facto vel culposo, vel doloso alterius, per quod damnum passus sum. Exemplum habet PAULUS in L. 17. §. 3. in f. π. commodat. *Idemque est, inquit, si ad fulciendam insulam tigna commodasti, deinde protraxisti: aut etiam sciens vitiosa commodaueris, adiuuari quippe nos, non decipi beneficio*

beneficio oportet. Ex quibus causis etiam contrarium iudicium vnde esse, dicendum est. Idem iudicat GAIUS in L. 18. §. 3. π. eod Item, qui scius vasa vitiosa commodauit: si ibi infusum vinum vel oleum corruptum effusumue est, condemnandus eo nomine est.

§. VI.

Probaimus hactenus, nullam contrariam actionem ex ipso venire contractu, sed ex interueniente causa. Quoties itaque ejusmodi causa, quarum quasdam dedimus, non existit, videlicet, si nihil impenderit, si facto alterius superueniente damnum haud passus sit, si non meliorauerit rem alterius, nulla plane cogitari potest actio contraria. Hinc multoties contingit, ut illi contradicunt inter contrahentes celebrentur, directaque obligatio adsit, tamen contraria ne cogitari quidem possit, cum fundamentum obligationis contrariae, quae actionem parit, non superuenit. Consequimur inde, male a doctis non tantum illa negotia, quae contrarias actiones producunt, inter bilateralia referri; quae semper unilateralia manent, et interdum tantum admittunt contrariam actionem, idque ex contingenti; verum regula, qua unilateralia negotia dicunt stricti iuris esse, plane falsa appetit, quippe haec unilateralia negotia commodati, depositi, caer, bonae fidei manent. Imo constat, interdum depositum abire vel in commodatum, vel in mutuum, prout vel non fungibilis rei usus, vel fungibilis depositario a deponente concessus, quare etiam dicunt irregularare depositum. Abit eo ipso directa depositi actio vel in commodati, vel in mutui actionem. Quare si, qui ante fuerat deponens, pecuniam repetit ab eo, qui primum fuerat depositarius, qui vero vius fuerat deponentis consensu illa pecunia amera deposita, condicione certi ex mutuo ager, non amplius depositi. Confirmare videtur hanc opinionem PAPINIANVS in L. 24. π. depositi vel contra in verbis: quod ita verum est, si id actum est, ut corpora nummorum endem redderentur. Nam si ut tantudem solueretur, conuenit, (quod famum, si nummis vius sit consentiente deponente) egreditur ea res depositi notissimos terminos. Si autem hoc verum est, PAVLVS in



L. 29. §. 1. π. eod. mihi reddit dubiam sententiam, quae communis alias habetur. Affirmant actionem mutui stricti iuris esse at PAVLVS eam resert in hoc themate, vbi depositum in mutuum abierat, actionem mutui, inter negotia bonae fidei. Verba sunt. Si ex permisso meo deposita pecunia is, penes quem deposita est, vtaatur: ut in ceteris BONAE FIDEI iudiciis usurpas eo nomine praeflare mihi cogitur. Concludo: mutuum non semper stricti iuris negotis adnumerandum, sed si vel stipulatio adhibita, vel literis prescriptum, stricto iure agendum fuisse, sin absque verborum solennitatis celebratum, ad bone fidei causas relatum fuisse, quae sententia etiam BOEHMERO de Actionib. S. I. Cap. III. §. 33. seqq. placuit. Sed obiter haec. Aliud dubium Paulo obstare videatur, quippe PAPINIANVS in L. 25. §. 1. π. eod. hoc iudicium, quo pecunia deposita in usus conuersa iudicio DEPOSITI repetitur. Scribit: Qui pecuniam apud se non obligavit, ut tantundem redderet, depositam, ad usus proprios conuerit, post moram in usurpas quoque IUDICIO DEPOSITI condemnandas est. Sed facile patet, si cum iis comparamus verbis, quae in L. 24. Papinianus dixerat, egreditur res depositi notissimos terminos, eundem impropprie iudicium depositi dixisse, quippe ex deposito mutuum ortum, indeque bonae fidei iudicij naturam retinuit, ut usurparum ratio, quae in vero mutuo celsabat, haberri posset.

§. VII.

Finis omnium, quae contrariae dicuntur actiones, unus est, scilicet, ut indemnus praefetur is, qui vel impensis fecit, vel meliorum rem reddidit, vel alterius factio damnum passus, vel pro alio se obligauit. Veritas huius asserti partim patet ex iis, quae antea adduximus, partim probat VLPIANVS in L. 3. §. 8. π. de contrar. tutel. et utili actione. Verba sunt: Iudicio contrario tutelae praefatur et id, quod in rem pupilli versus ante tutelam, vel post tutelam, si negotiis tutelae tempore gestis nexus probatur, et quod ante impensum est, siue pro tutori negotia gesti et postea tutor constitutus est, vel ventri erat Curator. Sed et si non pro tutori negotia

tia

tia gerebat, debet venire, quod ante impensum est. Deducuntur enim in tutelae iudicium sumus, quo sunque fecerit in rem pupilli, si tamen, si ex bona fide fecit. Consentit IUSTINIANVS in §. 3. I. de oblig. quae quasi ex contract. nase. Ait: Non tantum enim pupillus cum tutor habet tutelae actionem, sed et contra tutor cum pupillo habet contrariam tutelae, si vel impenderit aliquid in rem pupilli, vel pro eo fuerit obligatus, aut rem suam creditoribus eius obligaverit. Ita quoque in actione mandati contraria idem finis patet. Probat VLPIANVS in L. 12. §. 9. π. mandati. Scribit: Si mihi mandaueris, ut rem tibi aliquam emam, egoque emero meo pretio, habeo mandati actionem de pretio recuperando. Sed et si tuo pretio, impendero tamen aliquid bona fide ad emtionem rei: erit contraria mandati actio aut si rem emtam nolis recipere. Simili modo, et si quid aliud mandaueris et in id sumus fecero. De negotiis gestis testatur GAIUS in L. 2. π. de neg. ges. Ait: Si quis absentis negotia gesserit licet ignorantis, tamen quidquid utiliter in rem eius impenderit, vel etiam ipso se in re absentis alieni obligauerit, habeat eo nomine actionem sc. contrariam.

§. VIII.

Sed hanc haec satis clara atque ex ipsis iurium textibus manifesta, ita sane obseruandum, eas tantum actiones contrarias dici, quae occasione horum negotiorum unilateralium ex incidenti causa vniuent. Nam et aliae sunt actiones, per quas indemnies fieri petitum. Posset forsitan huc referri conditio triticaria, si plagulas paterentur, ita et haud raro ex contrariis bilateralibus oriundae actiones ad perficendum damnum instituuntur, quae propterea contrarie nos sumus ob id, quod primaria obligatio ex ipso negotio obligatorum oritur. Exemplo sit sententia PAVLI in L. 38. §. 1. π. pro socio. Scribentis: Si tecum societas mihi sit, et res ex societate communesc: quam IMPENSAM in eas fecero, quo sive fructus ex his rebus ceperis; vel pro socio vel communis dividendo, me confecutur, et altera actione alteram tolli. Proculus ait: Aliud exemplum est apud VLPIANVM in L. 1. π. de action. emti et venditi.

Si



*Si res vendita non tradatur, in id, quod interef̄t, agitur: hoc eſt,
quod rem habere interest emtoris, hoc autem interdum pretium egredit̄ur: Si pluris interef̄t, quam res valet, vel emta eſt. Et idem
VLPIANVS in L. 32. n. eod. Si quis a me oleum, quod emisset, ad-
hibitis iniquis ponderibus accepisſet, vt in modo me falleret; vel emtor
circumſcriptus sit a venditore ponderibus minoribus, Pomponius ait:
posſe dici; venditorem ſibi dare oportere, quod plus eſt petere: quod
habet rationem. Ergo et emtor ex EMTO habebit actionem, qua
contentus eſſe poſſit. Sic conductor ad indemnitatē, ager con-
ducti teſte VLPIANO in L. 19. §. 1. n. Locati. Si quis, inquit,
dolia vitioſa locauerit, deinde viuum effluſcerit: tenebitur in id, quod
interest, nec ignorantia eius erit excusata. Et locator ager locati
teſte PAVLO in L. 55. §. 2. n. eod. Qui contra legem conductionis
fundum ante tempus ſine iuſta ac probabili cauſa deſeruerit, ad ſolu-
endas totius temporis penſiones ex conduſto conueniri potest: quatenus
locatori in id, quod eius interest INDEMNITAS feruerit. Ex
his facile appetat, quantum interſit, et quae diſferentia, ſi directa
actione indemnitas petatur, atque demum, vbi contraria experiendum.*

Corollaria.

- 1) Mutuum adiutorium non eſt finis matrimonii.
- 2) Protestantes non admittunt ſacerdotium in ecclesia.



Leipzig, Diss., 1779 A17





382

DE

177922.

NATVRA ACTIONVM CONTRARIARVM.

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA.

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROF. PVBL. ORD. IVR. NAT. ET GENT. ET SOCIETAT. LITERAR.
DVISBVRG. SOCIO.

IN AVDITORIO IVRIDICO.

DIE XXX APRIL. ANNO CICICCLXXIX.

D I S P V T A B I T.

A V T O R

GOTTLOB FRIDERICVS WOLF.

ZOEBLIZIENSIS. MISN.

L I P S I A E
EX OFFICINA BÜSCHELIA.

